



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

S. Vdalrici monasterium in vrbe Augustana.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

An. 1015.

in cœnobio Floriensi, pro clericis, qui ad hoc vsque tempus Deo seruiebant ibi, monachi sunt constituti. Anno millesimo decimo quinto Baldricus Episcopus Florinensem Abbatiam acquisiuit ei, cui præerat, Leodicensi Episcopatu.

## CAPVT LIX.

*Mons monachorum, extra muros vrbis Bambergensis.*

**A**bbatiam hanc amplissimam an. 1008. aut circiter in honorem S. Michaëlis Archangeli, excitauit S. *Henricus* Imperator eiusque conthoralis S. *Cunigundis*: qui & Episcopatum Bambergensem instituerunt ac dotarunt, teste Bruschio.

*S. Vdalrici monasterium in vrbe Augustana.*

**S**vdalrici cœnobium, intra Augustanæ vrbis mœnia, versus meridiem, sublimi & augusto loco situm, ex D. Afræ vetustissimo templo in monasterium conuersum est ab ipso S. *Vlrico* Augustano Episcopo, post cæsos ibi ab imperatore Othone Magno Hunnos anno Domini 965. Instituit verò S. *Vlricus* ibi Canonicos primùm Regulares; postea verò à *Brunone* Episcopo, Imperatoris *Henrici* secundi germano fratre Abbatia Benedictinorum monachorum, eiectis Canonicis,

intri-

instituta, S. Vlrico angustum templum dedicatum est, quod prius S. Afræ exiguum tantum fuerat sacellum, idque factum legitur anno Christi 1012.

1012.

*Veichenstephense monasterium, in d. Frisingensi.*

**P**ositum est hoc monasterium in excelso monte prope Frisingam, vbi olim fuisse dicitur castrum Pipini, Galliarum & Alemannia Regis, in quo postea etiam Carolomannus habitauit. Mons ille dictus est *Fetmons* siue *Thetonis mons*, cuius amplissimæ fossæ arcis magnificentiam adhuc hodie satis ostendunt: Hoc castrum postea anno 746. à *Marsilio* Sueuorum Rege euersum esse, historia monasterij tradit; sed *Auentinus* lib. 3. meminit *Landfridi* & *Diepoldi* Ducum Sueuiæ, qui cum *Vtilone* circa *Lycum* multa bella gesserint; sed de *Marsilio* Rege & de vastatione castri *Testmons*, nihil.

746.

In hoc loco *Hitto* Episcopus Frisingensis constituit Præpositum cum sex Canonicis circa annum Domini 830. Post annos verò 200. imperante S. *Henrico* secundo, *Egilbertus* Episcopus Frisingensis, ex familia Comitum *Mospurgensium*, eundem Præpositum cum suis Canonicis transtulit in vmbilicum montis ad monasterium S. *Viti*, quod ipse fundauit, & loco ipsorum instituit ordinem D. Benedicti, & monasterium S. Stephani

830.

R

proto-